UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

BERGISCHE
UNIVERSITÄT
WUPPERTAL

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## M. Tvllii Ciceronis Opera Omnia

### Cicero, Marcus Tullius

### Basileæ, MDCLXXXII

Liber sextus

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1133

Visual Library

# M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER SEXTUS, AD ATTICUM.

## CICERO ATTICO, S.

ACcepi tuas litteras 1 A. D. quintum Terminalia Laodiceæ, quas legi libentiſſimè, pleniſſimas amoris, humanitatis, officii, diligentiæ. 2 his igitur reſpondebo: 3 ſic enim poſtulas: nec οἰκονομίαν meam inſtitutam; ſed ordinem conſervabo tuum. Recentiſſimas à Cybiſtris te meas litteras habere ais, A. D. X. KAL. Octob. datas: & ſcire vis, tuas ego quas acceperim: omneis fere, quas commemoras, præter eas, quas ſcribis Lentuli pueris & Equotutico, & Brundiſio datas. quare non 4 οἴχεται tua induſtria, quod vereris, ſed præclarè ponitur; ſi quidem id egiſti, ut ego delectarer. nam nulla re ſum delectatus magis. Quòd meam 5 βαθύτητα in Appio tibi, 6 libertatem etiam in Bruto probo; vehementer gaudeo: ac putaram ſecus. Appius enim ad me ex itinere bis, terve 7 ὑπομεμψιμοίρους litteras miſerat, quòd quædam à ſe conſtituta reſcinderem. ut ſi *medicus*, cùm ægrotus alii medico traditus ſit, iraſci velit ei medico, qui ſibi ſucceſſerit, ſi, quæ ipſe in curando conſtituerit, mutet ille; ſic Appius, cùm 8 ἐξ ἀφαιρέσεως provinciam curarit, ſanguinem miſerit, quidquid poterat detraxerit, mihi tradiderit 9 enectam, προσανατρεφομένην eam à me non libenter videt; ſed modò ſuccenſet, modò gratias agit. nihil enim à me fit cum ulla illius contumelia. tantummodo diſſimilitudo meæ rationis offendit hominem. quid enim poteſt eſſe tam diſſimile, quàm illo imperante, exhauſtam eſſe ſumptibus, & jacturis *provinciam*; nobis eam obtinentibus, nummum nullum eſſe erogatum nec privatim, nec publicè? Quid dicam de illius præfectis? comitibus? legatis? etiam de rapinis? de libidinibus? de contumeliis? nunc autem domus mehercule nulla tanto conſilio, aut tanta diſciplina gubernatur, aut tam modeſta eſt, quàm noſtra tota provincia. hanc nonnulli amici Appii ridiculè interpretantur: qui me idcirco putent bene audire velle, ut ille malè audiat, & rectè facere non meæ laudis, ſed illius *contumeliæ cauſa*. ſin Appius, ut Bruti litteræ, quas ad te miſi, ſignificabant, gratias nobis agit, non moleſtè fero: ſed tamen eo ipſo die, quo hæc ante lucem ſcribebam, cogitabam ejus multa, inique conſtituta & acta tollere. Nunc venio ad Brutum, quem ego omni ſtudio, te auctore, ſum complexus: quem etiam amare cœperam: 10 ſed; dico? revocavi me, ne te offenderem. noli enim putare, me quicquam maluiſſe, 11 quàm ut mandat is, facerem: nec ulla de re plus laboraſſe. mandatorum autem mihi libellum dedit; iiſdemque de rebus tu mecum egeras. omnia ſum diligentiſſimè perſecutus. primùm ab Ariobarzane ſic contendi, ut talenta, quæ mihi pollicebatur, illi daret. quoad mecum rex fuit, perbono loco res erat: poſt à Pompeji procuratoribus ſexcentis premi cœptus eſt. Pompejus autem cùm ob ceteras cauſas plus poteſt unus, quàm ceteri omnes, tum quòd putatur ad bellum Parthicum eſſe venturus. ei tamen ſic nunc ſolvitur, triceſimo quoque die talenta Attica XXXIII, & hoc *ex tributis*: nec id ſatis efficitur in uſuram menſtruam. ſed Cnæus noſter clementer id fert: ſorte caret: uſura, nec ea ſolida, contentus eſt. 12 alii neque ſolvit cuiquam, nec poteſt ſolvere. nullum enim ærarium, nullum vectigal habet. Appii inſtituto tributa imperat. ea vix, in fœnus Pompeji quod ſatis ſit, efficiunt. amici regis duo, treſve perdivites ſunt: ſed ii ſuum tam diligenter tenent,



1. A. D. *Quintum Terminalia.*) Sic habent Boſ. mſſ. Victor. vulgatam lectionem retinuit, quæ eſt, *ad quintum milliare*. ipſius antiquior, *Terminalia*, pro *miliare* habent: Germani verò eodem teſte, in ſuo cod. margine, *Terminalia* emendarunt quod & placuit Manut. ſed legebat *ad V. Terminalia*, pro *A. D. &c.* ſic autem etiam habere, ſine ulla varietate, codicem Torn. teſtatur Lamb.

2. *His igitur.*) *Hic igitur.*

3. *Sic enim poſtulas.*) Hoc ſi quis tranſjiciat, & poſt verbum *inſtitutam* collocet, Man. auctore non ineptè faciat.

4. Οἴχεται.) Diſparet, Evaneſcit.

5. Βαθύτητα.) Taciturnitatem, patientiam.

6. *Libertatem etiam in Bruto probo.*) Iun. ex mſſ. omnibus Pal. legit *liberalitatem*. Vict. etiam mſſ. ſic habere teſtatur.

7. Ὑπομεμψιμοίρους.) Subquerulas.

8. Ἐξ ἀφαιρέσεως.) Per diminutionem.

9. *Enectam* προσανατρεφομένην.) Recreatam. Hanc lectionem reſtituens Vict. duo magna menda ſuſtulit. legebatur enim prius, *enectā* & προσανατρεπομένην.

10. *Sed; dico? revocavi me.*) Sic diſtinguendum aſſerit Iun. Faërn. *ſed illico revocavi me* Anton. Auguſt. *ſed ſedulo revocavi*.

11. *Quam ut mandat is facerem.*) Vict. eſt hæc lectio, ex antiquiore ſuo, antea legebatur *quam ut mandatis ejus ſatisfacerem*, quod etiam deleto *ejus*, retinet Iun. ex mſſ. Pal.

12. *Alii neque ſolvit cuiquam.*) Ita legere libros veteres teſtatur Lam. vulgò *ſolvit quidquam*.

quàm ego, aut tu. equidem non deſino tamen per litteras rogare, ſuadere, accuſare regem. Dejotarus etiam mihi narravit, ſe ad eum legatos miſiſſe de re Bruti: eos ſibi reſponſum retuliſſe, illum non habere: & mehercule ego ita judico, nihil illo regno ſpoliatius, nihil rege egentius. itaque aut tutela cogito me abdicare, aut, ut pro Glabrione Scævola, fœnus & impendium recuſare. ego tamen, quas per te Bruto promiſeram, *præfecturas* M. Scaptio, L. Gavio, qui in regno rem Bruti procurabant, detuli. nec enim in provincia mea negotiabantur. tu autem meminiſti, nos ſic agere, ut quot vellet, præfecturas ſumeret, 1 dum ne *negotiatori*. 2 itaque duas ei 3 præterea dederam. ſed ii, quibus petierat, de provincia deceſſerant. Nunc cognoſce de Salaminiis: quod video tibi etiam novum accidiſſe, tanquam mihi. numquam enim ex illo audivi, illam pecuniam eſſe ſuam. quin etiam libellum ipſius habeo, in quo eſt, SALAMINII PECUNIAM DEBENT M. SCAPTIO, ET P. MATINIO, FAMILIARIBUS MEIS. eos mihi commendat: adſcribit etiam, & quaſi calcar admovet, 4 interceſſiſſe ſe pro iis magnam pecuniam. confeceram, ut ſolverent centeſimis ſexennii ductis cum renovatione ſingulorum añorum. at Scaptius quaternas poſtulabat, metui, ſi impetraſſet, ne tu ipſe me *amare* deſineres. nam ab edicto meo receſſiſſem; & civitatem, in Catonis, & in ipſius Bruti fide locatam, meisque beneficiis ornatam, funditus perdidiſſem. Atque hoc tempore ipſo impingit mihi epiſtolam Scaptius Bruti, rem illam ſuo periculo eſſe: quod nec mihi umquam Brutus dixerat, nec tibi: etiam, ut præfecturam Scaptio deferrem, id verò per te 5 exceperamus, *ne negotiatori*: quòd ſi cuiquam, huic tamen non. fuerat enim præfectus Appio; & quidem habuerat turmas equitum, quibus incluſum in Curia ſenatum Salamine obſederat, ut fame ſenatores quinque morerentur. itaque ego, quo die tetigi provinciam, cùm mihi Cyprii legati Epheſum obviam veniſſent, litteras miſi, ut equites ex inſula ſtatim decederent. His de cauſis credo Scaptium iniquius de me aliquid ad Brutum ſcripſiſſe. ſed tamen hoc ſum animo: ſi Brutus putabit me quaternas centeſimas oportuiſſe decernere, qui in tota provincia *ſingulas* obſervarem, itaque edixiſſem, idque etiam acerbiſſimis fœneratoribus probaretur; ſi præfecturam negotiatori denegatam queretur, quod ego Torquato noſtro 6 in tuo Lenio, Pompejo ipſi in Sex. Statio negavi, & iis probavi; ſi equites deductos moleſtè feret, accipiam equidem dolorem, mihi illum iraſci, ſed multo majorem, non eſſe eum talem, qualem putaſſem. Illud quidem fatebitur Scaptius, me jus dicente, ſibi omnem pecuniam ex edicto meo auferendi poteſtatem fuiſſe. Addo etiam illud, quod vereor, tibi ipſi ut probem: conſiſtere uſura debuit, quæ erat in edicto meo. deponere volebant: impetravi ab Salaminiis, ut ſilerent. veniam illi quidem mihi dederunt; ſed quid iis fiet, ſi huc Paullus venerit? ſed totum hoc Bruto dedi, qui de me ad te humaniſſimas litteras ſcripſit: ad me autem, etiam cùm *rogas* aliquid, contumaciter, arroganter, 7 ἀκοινωνήτως ſolet ſcribere. tu autem velim ad eum ſcribas de his rebus; ut ſciam, quomodo hæc accipiat. facies enim me certiorem. atque hoc ſuperioribus litteris ad te diligenter perſcripſeram. ſed planè te intelligere volui, mihi non excidiſſe illud, quod tu ad me quibusdam litteris ſcripſiſſes; ſi nihil aliud de hac provincia, niſi illius benivolentiam, deportaſſem, mihi id ſatis eſſe. 8 ſit ſane; quoniam ita tu vis: ſed tamen cum eo credo, *quod ſine peccato meo fiat*. Igitur 9 meo decreto ſoluta re Scaptio, ſtatim quàm decretum ſic tu judicabis, ne ad Catonem quidem provocabo. ſed noli me putare 10 ἐγκελεύσματα illa tua abjeciſſe, quæ mihi in viſceribus hærent. flens mihi meam famam commendaſti. quæ epiſtola tua eſt, in qua mentionem non facias? itaque iraſcatur, qui volet: patiar. 11 τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ. præſertim cùm ſex libris tanquam *prædibus* 12 me ipſum obſtrinxerim: quos tibi tam valde probari gaudeo; è quibus unum ἱστορικὸν requiris de 13 Cn. Flavio M. F. ille verò ante Decemviros non fuit: quippe qui Ædilis curulis fuerit: qui magiſtratus multis annis poſt decemviros inſtitutus eſt. quid ergo profecit, quòd protulit faſtos? occultatam putant quodam tempore iſtam tabulam, ut dies agendi peterentur à paucis. nec verò pauci ſunt auctores, Cn. Flavium ſcribam faſtos protuliſſe, actionesque compoſuiſſe: ne me hoc, vel potius Africanum, (is enim loquitur) commentum putes. 14 Οὐκ ἔλαθέ σε illud de geſtu hiſtrionis; ut ſceleſtè ſuſpicaris, ego ἀφελῶς ſcripſi. De me *imperatore* ſcribis te ex Philotimi *litteris* cognoſſe. ſed credo te, jam in Epiro cùm eſſes, binas meas de omnibus rebus accepiſſe, unas à Pindeniſſo capto, 15 alteras Laodicea, utrasque tuis pueris datas. quibus de rebus, propter caſum navigandi, per binos tabellarios miſi Romam litteras publicè. De Tullia mea tibi aſſentior; ſcripſique ad eam & ad Terentiam, mihi placere. tu enim ad me jam ante ſcripſeras, AC VELLEM TE IN TUUM VETEREM GREGEM RETULISSES. correcta verò epiſtola Memmiana, nihil negotii fuit. multo enim malo hunc à Pontidia, quam illum à Servilia. quare adjunges 16 Auſium noſtrum, hominem ſemper amantem me; nunc credo, eo magis, quòd debet etiam fratris Appii *amorem* erga me cum aliqua hereditate creviſſe; qui declaravit

1. *Dum ne negotiatori.*) Veteres cod. ſequutus ita repoſuit Vict. antea legebatur *dum ne negotiarentur*.
2. *Itaque duas ei.*) *Itaque* deeſt in vulg.
3. *Præterea dederam.*) Vict. emendavit, *præterea*, cùm legeretur *præfecturas*.
4. *Interceſſiſſe ſe.*) Vulg. *interceſſiſſe à ſe*.
5. *Exceperamus, ne negotiatori.*) *Ne* deeſt in vulg.
6. *In tuo Lenio.*) Vict. hæc eſt caſtigatio, priùs legebatur, *in T. Lemnio*.
7. Ἀκοινωνήτως.) Rigidè & minimè familiariter.
8. *Meo decreto ſoluta re Scaptio.*) Hic locus ita legitur in Decurtato: *igitur meo decreto ſoluta re Scaptio, ſtatim quam decretum ſic tu judicabis*: ſicque excudendum curavit Boſius. Habent antiqui libri, quorum Manutio copia fuit: *ſoluta res Scaptio, ſtatim quam decretum ſit, tu judicabis*: unus habet, *ſoluta res Captio ſtatim quam decretum ſit tu judicabis*. unde, ut tueatur antiquam ſcripturam ſic legendum cenſuit: *igitur me decreto ſolvatur Scaptio, ſtatim quam decretum ſit tu judicabis*: vel etiam, *meo decreto ſolvatur Scaptio ſtatim: quam directum ſit tu judicabis*. Lambinus partim ultimam hanc ſcripturam, partim veteris ſcripturæ veſtigia, partim Pariſienſium & Lugdunenſium quorundam exemplorum editionem ſecutus, olim ediderat, *igitur meo decreto ſolvatur ac Scaptio ſtatim, id quam rectum ſit tu judicabis*. ſed poſtea codex Tornæſianus nactus, ſic locum reſtituendum cenſuit: *igitur meo decreto ſoluta re Scaptio, ſtatim, quam id decretum rectum ſit tu judicabis*: Urſinus: *igitur meo decreto ſolvitur ac Scaptio ſtatim: quam id rectum ſit tu judicabis*.
9. Ἐγκελεύσματα.) Hortationes.
10. Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ.) Quod enim rectum eſt, à me ſtat.
10. *Me ipſum obſtrinxerim.*) Vulg. *me ipſe obſtrinxerim*.
11. *Cn. Flavio Cn. F.*) Sic emendavit Man. cùm legeretur *Cn. Flavio Anni F.*
12. Οὐκ ἔλαθέ σε.) Perſpicuè, ut emendavit Malaſpina, οὐκ ἔλαθέ σε, atque eſt in Dec legendum aſſerit Boſ. Lambin. verò quamquam olim Malaſpinam ſecutus ediderit, οὐκ ἔλαθέ σε, tamen ex mſſ. libris nunc legendum ſtatuit οὐκ ἔλαθες, quæ eſt vulgata lectio.
13. *Alteras Laodicea.*) *Alteras à Laodicea*: vulg.
14. *Auſium noſtrum.*) Vulg. *Alſium noſtrum*.

1. Burſa

cavit, quanti me faceret: cùm ſæpe, tum 1 in Borſa, 2 ne tu me ſollicitudine magna liberaris. Furnii exceptio mihi non placet. 3 nec enim ego ullum aliud tempus timeo, niſi quod ille ſolùm excipit ſed ſcriberē ad te de hoc plura, ſi Romæ eſſes. 4 in Pompejum te ſpem omnem otii ponere non miror: ita res eſt; removendumque cenſeo illum DISSIMULANTEM. ſed enim, οἰκονομίας ſi perturbatior eſt, tibi aſſignato: te enim ſequor 5 σχεδιάζοντα. Cicerones pueri amant inter ſe, diſcunt, exercentur; ſed alter, 6 uti dixit Iſocrates in Ephoro & Theopompo, frenis eget, alter calcaribus. Quinto togam puram Liberalibus cogitabam dare, mandavit enim pater. ea ſic obſervabo, quaſi intercalatum non ſit. Dionyſius mihi quidem 7 in amoribus eſt. pueri autem ajunt, 8 eum *furenter iraſci*. ſed homo nec doctior, nec ſanctior fieri poteſt, nec tui meique amantior. 9 Thermum, Silvium verè audis laudari. valde ſe honeſte gerunt. adde M. Nonium, 10 Bibulum, me, ſi voles. jam Scrofa, vellem, haberet ubi poſſet. eſt enim lautum negotium. ceteri infirmant 11 πολίτευμα Catonis. Hortenſio quòd cauſam meam commendas, valde gratum. De Amiano, ſpei nihil putat eſſe Dionyſius. Terentii nullum veſtigium agnovi. Mœragenes certè periit. feci iter per ejus poſſeſſionem, in qua animal reliquum nullum eſt. hæc non noſam tum, cùm cum Democrito tuo locutus ſum. 12 Rhoſiaca vaſa mandavi. Sed heus tu, 13 quid cogitas infelicitatis? lancibus & ſplendidiſſimis caniſtris, *oluſculis* nos ſoles paſcere. quid te in vaſis fictilibus appoſiturum putem? Κέρας Phemio mandatum eſt: reperietur; modò aliquid illo dignum canat. Parthicum bellum impendet. Caſſius ineptas litteras miſit. necdum Bibuli erant allatæ; quibus recitatis, puto fore, ut aliquando commoveatur ſenatus. equidem. 14 ſum magna animi perturbatione. ſi, ut opto, non prorogatur noſtrum negotium, habeo Junium, & Quintilem in metu. eſto, duos quidem menſes ſuſtinebit Bibulus. quid illo fiet, quem reliquero, præſertim ſi fratrem? magna turba eſt. mihi tamen cum Dejotaro convenit, ut ille in meis caſtris eſſet cum ſuis copiis omnibus. habet autem cohortes quadringenarias *noſtra armatura*, XXX; equites CIↃ CIↃ. erit ad ſuſtentandum, quoad Pompejus veniat; qui litteris, quas ad me mittit, ſignificat, ſuum negotium illud fore. hiemant in noſtra provincia Parthi, exſpectatur ipſe Orodes. quid quæris? aliquantum eſt negotii. 15 De Bibuli edicto nihil movi, præter illam exceptionem, de qua tu ad me ſcripſeras, NIMIS GRAVI PRAEIUDICIO IN ORDINEM NOSTRUM. ego tamen habeo ἰσοδυναμοῦσαν, ſed tectiorem, ex Q. Mucii P. F. edicto Aſiatico, EXTRA QUAM SI ITA NEGOTIUM GESTUM EST, UT EO STARI NON OPORTEAT; EX FIDE BONA; multaque ſum ſecutus SCÆVOLAE, in iis illud, in quo ſibi libertatem cenſent Græci datam, ut Græci inter ſe diſceptent *ſuis legibus*. breve autem edictum eſt propter hanc meam 16 διαίρεσιν, quòd duobus generibus edicendum putavi: quorum unum eſt provinciale, in quo eſt de rationibus civitatum, de ære alieno, de uſura, de ſyngraphis; in eodem omnia de publicanis: alterum, quod ſine edicto ſatis commodè tranſigi non poteſt, de hereditatum poſſeſſionibus, de bonis poſſidendis, magiſtris faciendis, vendendis: quæ ex edicto & poſtulari, & fieri ſolent. tertium, de reliquo jure dicundo, ἄγραφον reliqui. dixi me de eo genere mea decreta ad edicta urbana accommodaturum: itaque curo, & ſatisfacio adhuc omnibus. Græci verò exultant, quòd peregrinis judicibus utuntur. nugatoribus quidem, inquies. quid refert? tamen ſe 17 αὐτονομίαν adeptos putant. veſtri enim, credo, 18 graves habent, Turpionem ſutorium, & Vettium mancipem. De *Publicanis* quid agam, videris quærere. habeo in deliciis, obſequor, verbis laudo, orno; efficio, ne cui moleſti ſint. 19 τὸ παραδοξότατον, uſuras eorum, quas pactionibus adſcripſerant, ſervavit etiam Servilius. ego ſic. diem ſtatuo ſatis laxam; quam ante ſi ſolverint, dico me centeſimas ducturum: ſi non ſolverint, ex pactione. itaq; & Græci ſolvunt tolerabili fœnore; & Publicanis res eſt gratiſſima. 20 ſic illa jam habent, pleno modio, verborum honorem, invitationem crebram. quid plura? ſunt omnes ita mihi familiares, ut ſe quiſque maximè putet. ſed tamen 21 μηδὲν αὐτοῖς. ſcis reliqua. 22 De ſtatu Africani, (23 ὢ πραγμάτων ἀσυγκλώστων! ſed me ipſum delectavit in tuis litteris, ain' tu? 24 Scipio hic Metellus proavum ſuum *neſcit* cenſorem non fuiſſe? atqui nihil habuit aliud inſcriptum 25 niſi COS ea ſtatua, quæ 26 ad Opis per te poſita in excelſo eſt. 27 in illa item,



1. *Borſa.*) Majore prima littera *Burſa*, ſcripſit Vict. antea *burſa* parvo legebatur.
2. *Nec tu me.*) Vulg. *ne tu me.*
3. *Nec enim ego.*) *Enim* deeſt in vulg.
4. *In Pompejum te ſpem, &c.*) Edidit Boſ. Torn. & Dec ſcripturam, ut & codicum Mal. paulo poſt ex eodem Dec. *illud, diſſimulantem*; vulg. *illum diſſimulantem.*
5. Σχεδιάζοντα.) Scribentem, quòd ſubito in mentem venit.
6. *Ut dixit.*) Vulg. *uti dixit.*
7. *In amoribus eſt.*] Vict. *in amoribus eſt*, caſtigavit: prius legebatur *in moribus.*
8. *Eum furenter iraſci.*) Victor ex melioribus ſuis, emendaverat *ſe furenter*, quod etiam Vrſ. notat legi in vetere libro. ſed illud *ſe* plane ineptum afferunt Manut. & Lamb.
9. *Thermum, Silvium, &c.*] Pighius l. XVII. Annalium Rom. corrigit *Silium*, iterumq; reponendum putat in Epiſtolis ad Atticum. & vero exſtant Tullii ad Silium litteræ l. XIII. Epiſtolarum, quibus amicos in ejus provincia negotiantes commendat. nec *Silvia* gens legitur in hiſtoria Romana poſt urbem conditam.
10. *Bibulum.*] Vulg. *Vibulum.*
11. Πολίτευμα) Factum in rep. actionem publicam.
12. *Rhoſiaca vaſa.*] Victor legit *Rhoſii cauſam mandavi*, quæ etiam eſt vulgata lectio, ſed Boſ. e Scid. & Torn. *Rhoſiaca vaſa mandavi*, quod etiam ante viderant Man. & Lamb.
13. *Quid cogitas infelicitatis? lancibus & ſplendidiſſimis caniſtris, &c.*] Aliter legit & diſtinguit Iun. ex mſſ. Pal. veſtigiis, *quid cogitas in ſilicatis ſplendidiſſimis lancibus.*
14. *Sum magna animi.*] *Sum in magna animi*; vulgo.
15. *De Bibuli edicto nihil movi.*] Germanam ac veram lectionem repoſuit Manut. legens, *nihil movi*, pro *nihil novi*. atque ita ſcriptum reperit Boſius in Decurt.
16. Διαίρεσιν.) Diviſionem.
17. Αὐτονομίαν.) Facultatem ſuis utendi legibus.
18. *Gravis.*] Vulgo *graves.*
19. Παραδοξότατον) Inopinatiſſimum.
10. *Sic illa jam habent.*] *Si illam jam habent.*
21. Μηδὲν αὐτοῖς) Supplendum μέλει, nihil ipſis curæ eſt.
22. *De ſtatu Africani (ὢ πραγμάτων ἀσυγκλώστων! ſed me ipſum delectavit in tuis litteris.*] *ain' tu?*] Alia eſt paullulum Vulgi interpunctio, *de ſtatu Africani.* ὢ πραγμάτων ἀσυγκλώστων, *ſed me ipſum delectavit in tuis litteris. Ain tu?*
23. Ὢ πραγμάτων ἀσυγκλώστων.) O res quæ componi non poſſunt! ô perturbatum rerum ordinem.
24. *Scipio hic Metellus proavum ſuum neſcit Cenſorem non fuiſſe?*] Vulgatam lectionem hîc & ſequentibus locis retinet Iun. quicquid Lamb. Boſ. & alii adferant, cum mſſ. Pal. fide, tum veritate hiſtoriæ fretus; ea autem talis eſt, *Scipionem hic Metellus proavum ſuum neſcit Cenſorem fuiſſe.*
25. *Niſi* COS.] Omnibus litteris exaratum erat in Cruſ. *niſi conſul*: nec aliter in Dec. niſi quod compendio legebatur COS. ut edidit Boſius. vulg. *niſi Cenſor.*
26. *Ad Opis per te poſita.*] Beſſar. liber *ad Opis parte*, recte fortaſſe ut inquit Man. mavult tamen *ad Opis aperte*, quæ eſt vulgata lectio
27. *In illa item.* Sic habent Cruſellinus & Dec. vulg. *in illa autem.*

1 quæ eſt ad 2 πολυδεύκους, 3 hercule inſcriptum eſt, Coſquam eſſe ejuſdem, ſtatus amictus, annulus, imago ipſa declarat. 4 at mehercule ego cùm in turma inauratarum equeſtrium, quas hic Metellus in Capitolio poſuit, animadvertiſſem in Serapionis ſubſcriptione Africani imaginem, erratum fabrile putavi, nunc video Metelli. ô 5 ἀνιστορησίαν turpem. Nam illud de Flavio & faſtis, ſi ſecus eſt, commune erratum eſt; & tu bellè 6 ἠπόρησας; & nos publicam prope *opinionem* ſecuti ſumus, ut mula apud Græcos. quis enim non dixit, 7 Εὔπολιν, τὸν τῆς ἀρχαίας, ab Alcibiade, navigante in Siciliam, dejectum eſſe in mare? redarguit Eratoſthenes. adfert enim, quas ille poſt id tempus fabulas docuerit. nam idcirco Duris Samius, homo in hiſtoria diligens, quòd cùm multis erravit, irridetur? Quis Zaleucum leges Locris ſcripſiſſe non dixit? num igitur jacet Theophraſtus, ſi id à Timæo, ſuo familiari, reprehenſum eſt? Sed neſcire proavum ſuum cenſorem non fuiſſe, turpe eſt: præſertim cùm poſt eum conſulem, nemo Cornelius, illo vivo, cenſor fuerit. Quod de Philotimo, & de ſolutione H S XXDC ſcribis, Philotimum circiter Kalend. Januar. in Cherſonneſum audio veniſſe; ac mihi ab eo nihil adhuc. reliqua mea Camillus ſcribit ſe accepiſſe, ea quæ ſint, neſcio, 8 & haveo ſcire. verùm hæc poſterius & coram fortaſſe commodiùs. Illud me, mi Attice, in extrema ferè parte epiſtolæ commovit: ſcribis enim ſic, τί λοιπόν? deinde me obſecras amantiſſime, ne obliviſcar vigilare, & ut animadvertam, quæ fiant. num quid de quo inaudiſti? etſi nihil ejuſmodi eſt. 9 πολλοῦ γε καὶ δεῖ. nec enim me fefelliſſet nec fallet. ſed iſta admonitio tua tam accurata, neſcio, quid mihi *ſignificare* viſa eſt. De M. Octavio, iterum tibi reſcribo, te illi probè reſpondiſſe. paullo vellem fidentiùs. Nam Cœlius libertum ad me miſit, & litteras accuratè ſcriptas: 10 ſed de pantheris fœdè, ac civitatibus. reſcripſi, alterum me moleſtè ferre, ſi ego in tenebris laterem, nec audiretur Romæ, nullum in mea provincia nummum, niſi in æs alienum, erogari; docuique nec mihi conciliare pecuniam licere nec illi capere: monuique eum, quem planè diligo, ut, CUM ALIOS accuſaſſet, cautiùs viveret. illud autem alterum, alienum eſſe exiſtimatione mea, Cybiratas imperio meo publicè venari. 11 Lepta tua epiſtola gaudio exultat. etenim ſcripta bellè eſt, meque apud eum magna in gratia poſuit. Filiola tua gratum mihi fecit, quòd tibi diligenter mandavit, ut mihi ſalutem adſcriberes; gratum etiam Piliæ: ſed illa officioſiùs, quòd mihi, 12 quem jam pridem numquam videt. igitur tu quoque ſalutem utrique adſcribito. Litteras daturus pridie Kal. Januar. 13 ſuavem habuit recordationem clariſſimi jurisjurandi: quod ego non eram oblitus, magnus enim prætextatus illo die fui. Habes ad omnia, non ut poſtulaſti, 14 χρύσεα χαλκείων; ſed paria paribus 15 reſpondimus. Ecce autem alia puſilla epiſtola, quam non relinquam 16 ἀναντιφώνητον. Benè mehercule potuit Lucceius Tuſculanum; niſi fortè, ſolet enim, cum ſuo tibicine: & velim ſcire, quis ſit ſtatus ejus. Lentulum quidem noſtrum, 17 præ ære, Tuſculanum proſcripſiſſe audio. 18 cupio hos expeditos videre; cupio etiam Seſtium: adde, ſi vis Cœlium; quibus omnibus eſt, 19 αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι. De Memmio reſtituendo ut Curio cogitet, te audiſſe puto. De Egnatii Sidicini nomine, nec nulla, nec magna ſpe ſumus. Pinarium, quem mihi commendas, diligentiſſimè Dejotarus curat, graviter ægrum. Reſpondi etiam minori. Tu, velim, dum ero Laodiceæ; id eſt 20 ad Idus Mai. quàm ſæpiſſime mecum per litteras colloquare: & cùm Athenas veneris, (jam enim ſciemus de rebus urbanis, de provinciis, quæ omnia in menſem Martium ſunt collata) utique ad me tabellarios mittas. 21 Sed heus tu, jamne vos à Cæſare, per Herodem, talenta Attica L. extorſiſtis? in quo, ut audio, magnum 22 odium Pompeji ſuſcepiſtis. putat enim, ſuos nummos vos *comediſſe*; Cæſarem 23 in Nemorenſi ædificando diligentiorem fore. hoc ego ex P. Vedio, magno nebulone, ſed Pompeji tamen familiari, audivi. hic Vedius venit mihi obviam cum duobus eſſedis, & rheda equis junctà, & lectica, & familia magna; pro qua, ſi Curio legem pertulerit, H S centena pendat neceſſe eſt. erat præterea cynocephalus in eſſedo; nec deerant onagri. numquam vidi hominem nequiorem. ſed extremum audi. diverſatus eſt Laodiceæ apud 24 Pompejum Vindullum; ibi ſua depoſuit, cùm ad me profectus eſt. moritur interim Vindullus: quæ res ad Magnum Pompejum *pertinere* putabatur. C. Vennonius domum Vindulli venit: cùm omnia obſignaret, in Vedianas res incidit. in his inventæ ſunt 25 quinque planguneulæ matro-

1. *Quæ eſt ad* πολυδεύκους.) Auxilio antiquioris ſui, ad πολυδεύκους ſcripſit Vict. antea legebatur, *ad* πόδας ἡρακλέους.

2. Πολυδεύκους.) Pollucis ædem.

3. *Hercule inſcriptum eſt.*) *Hercule* deeſt in vulg.

4. *At mehercule.*] Vulg. *at hercule.*

5. Ἀνιστορησίαν.) Inſcitiam hiſtoriarum.

6. Ἠπόρησας.) Dubitaſti.

7. Εὔπολιν.) Eupolin, illum veteris, ſc. comœdiæ poëtam.

8. *Et haveo ſcire. Verum hæc.*) Vulg. & *aveo ſcire. Sed hæc, &c.*

9. πολλοῦ γε καὶ δεῖ.) Multum quidem abeſt.

10. *De Pantheris fœdè, ac civitatibus.*) Boſ. fidem Dec. ſequutus ſic edidit. Man. teſtatur in mſſ. legi, *ſed à civitatibus*: ſed putat rectius, *& de civitatibus*, litterarum mutatione parva. vulgò, *de pantheris, ſed à Cibyratibus*, quam Pii emendationem notat Urſ. Mur. l. XV. Var. lect. c. 8 *& de Cibyratis* legendum putat. Boſ. lectionem probat Iun.

11. *Lepta tua epiſtola.*) Hic epiſtolæ ſecundæ initium facit Vict. Liber unus mſ. teſte Lambin. habet, *Lecta tua epiſtola Dionyſius gaudio exſultat.*

12. *Quem jampridem nunquam videt.*) Videtur Man. fortaſſe legendum, *quem nunquam vidit.*

13. *Suavem habuit.*] Ita Dec. cujus lectionem ſequutus eſt Boſ. vulg. *ſuavem habuit.*

14. Χρύσεα.) Aurea pro æneis.

15. *Reſpondimus.* Vulgo *reſpondemus.*

16. Ἀναντιφώνητον.) Sine reſponſione.

17. *Præ ære Tuſculanum.*] Boſ. hæc eſt conjectura ex Dec. depravatione, qui habebat *præ re*, unde *præ ære* legendum cenſuit. Iun. ex mſſ. Palatinorum vulg. *prætere*: vulg. *præter Tuſculanum.*

18. *Cupio hos expeditos videre: cupio etiam Seſtium: adde, ſi vis, Cœlium.*) Vulg. *cupio hos expeditos videre cupio etiam Sextium, addes etiam ſi vis Cœlium.*

19. Αἴδεσθεν μέν.) Veriti ſunt quidem recuſare, timuerunt autem accipere.

20. *Ad idus Maji.*) Probat hanc lectionem Giſanius, reprehenditque qui ſuppoſuere, *a. d. idus*, in obſervationibus ſuis linguæ Latinæ, tamquam perabſurdam, *ad* enim ſignare, *uſque ad.*

21. *Sed heus tu, jamne vos à Cæſare per Herodem talenta Attica quinquaginta extorſiſtis?*) Adjutus ope Torn. Cruſ. Huralt. Boſius ita legendum cenſet cum interrogatione. Urſ. amici cujuſdam ſui hanc refert tentatam hujus loci correctionem, *ſed heus ne tu, ita ne vos à Cæſare, &c.* Exempla Aldina teſte Lambin. habent, *Ianuarios*, pro *jam ne vos*: ſed ille, Turn. conjecturam ſequutus l. XXIV. c. 20 legendum opinatur, *Genua vos à Cæſare.* vulg. *ſed heus tu Genuarios à Cæſare per Orodem talenta Attica L. extorſiſtis.*

22. *Odium Pompeii.*) Manut. malit legi, *Poſidonii.*

23. *In Nemorenſi ædificando.* Turnebi hæc eſt conjectura d. c. Boſ. quæ mirè probatur Boſ. partim ex hiſtoria, partim etiam ex veteris ſcripturæ veſtigiis, habent enim ipſius mſſ. *in memorem. In Marathone ædificando*, eſſet apertius nec ἄλογον, ut opinatur Man. Turn. conjecturæ aſſentitur Lambinus.

24. *Pompejum Vindullum.*) Caſtigavit Victor. *Vindullum* pro, *vidi illum*, quod antea legebatur.

25. *Quinque planguneulæ.*) Vocabuli hujus *plangunculæ* reſtitutio Boſio debetur qui ita legendum conjecit ex veteribus libris, in quibus erat *languncula*: hanc autem caſtigationem ita probarunt Lamb. & Iun. ut ita edendum curaverint: *imagunculæ* opinabantur legendum Vict. & Man. quorum hic teſtatur in Beſſar. libro legi *plangunculæ*. vulg. *quinque lagunculæ.*

matronarum, 1 in quibus una ſororis amici tui, hominis Bruti, qui hoc utatur; & illius Lepidi, qui hæc tam negligenter ferat. hæc te volui 2 παρεσηκότι. ſumus enim ambo belle curioſi. Unum etiam velim cogites. audio Appium 3 προπύλαιον Eleuſine facere. num inepti fuerimus, ſi nos quoque Academiæ fecerimus? puto, inquies. ergo id ipſum ſcribes ad me. equidem valde ipſas Athenas amo. volo eſſe aliquod *monumentum*. odi falſas inſcriptiones ſtatuarum alienarum. ſed ut tibi placebit; facieſque me, in quem diem Romana incidant myſteria, certiorem, & quo modo hiemaris. Cura ut valeas. Poſt Leuctricam pugnam die ſeptingenteſimo exageſimo quinto.

CICERO ATTICO, S.

2 CUM Philogenes, libertus tuus, Laodiceam ad me, ſalutandi cauſa, veniſſet, & ſe ſtatim ad te navigaturum eſſe diceret; has ei litteras dedi; quibus ad eas reſcripſi, quas acceperam à Bruti tabellario. & reſpondebo primum poſtremæ tuæ paginæ; quæ mihi magnæ moleſtiæ fuit; quòd ad te ſcriptum eſt à Cincio de Statii ſermone: in quo hoc moleſtiſſimum eſt; Statium dicere, à me quoque id conſilium probari. probari autem? de iſto hactenus. dixerim me vel plurima *vincla* tecum ſummæ conjunctionis optare: 4 & ſunt amoris arctiſſima. tantum abeſt, ut ego ex eo, quo aſtricti ſumus, laxari aliquid velim. illum autem multa de iſtis rebus aſperiùs ſolere loqui, ſæpe ſum expertus, ſæpe etiam lenivi iratum. id ſcire te arbitror. in hac autem peregrinatione, militiave noſtra ſæpe incenſum ira vidi, ſæpe placatum. quid ad Statium ſcripſerit, neſcio. quidquid acturus de tali re fuit, ſcribendum tamen ad *libertum* non fuit. mihi autem erit maximè curæ, nequid fiat ſecus, quàm volumus, quamque oportet. nec ſatis eſt in ejuſmodi re, ſe quemque præſtare. ac maximè partes iſtius officii ſunt pueri Ciceronis, ſive jam adoleſcentis: quod quidem illum ſoleo hortari. ac mihi videtur matrem valde, ut debet, amare, teque mirificè. ſed eſt magnum illud quidem, verumtamen multiplex pueri ingenium: quo ego *regendo* habeo negotii ſatis. Quoniam reſpondi 5 poſtremæ tuæ paginæ prima mea; nunc ad primam revertar tuam. Peloponneſias civitates omneis maritimas eſſe, hominis non nequam, ſed etiam tuo judicio probati, Dicæarchi tabulis credidi. is multis nominibus in Trophoniana 6 Charonis narratione Græcos in eo reprehendit, quòd mare tam ſecuti ſunt: nec ullum in Peloponneſo locum excipit. cùm mihi auctor placeret, (etenim erat ἱστορικώτατος, & vixerat in Peloponneſo) admirabar tamen: &, 7 vix accredens, communicavi cum Dionyſio. atque is primò eſt commotus: deinde, quòd tum 8 de iſto Dicæarcho non minùs bene exiſtimabat, quàm tu de C. Veſtorio, ego de 9 M. Cluvio, non dubitabat, quin ei crederemus. Arcadiæ cenſebat eſſe Lepreon quoddam maritimum: Tene autem, & Aliphera, & Tritia 10 νεόκτιστα ei videbantur; idq; 11 τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ confirmabat, ubi mentio non ſit iſtorum, atq; iſtum ego locum totidem verbis à Dicæarcho tranſtuli. 12 Phliaſios autem dici ſciebam: & ita fac ut habeas: nos quidem ſic habemus. ſed primo me ἀναλογία deceperat, φλιῦς ὀπῦς σιπῦς. quòd ὀπόντιοι, σιπουντιοι. ſed hoc continuò correximus. Lætari te noſtra *moderatione & continentia* video. tum id magis faceres, ſi adeſſes, atque hoc foro, quod egi ex Idibus Febr. Laodiceæ ad Kalend. Maj. omnium diœceſium, præter Ciliciæ. mirabilia quædam effecimus: ita multæ civitates omni ære alieno liberatæ, multæ valde levatæ ſunt; omnes ſuis legibus, & judiciis uſæ, αὐτονομίαν adeptæ, revixerunt. his ego duobus generibus facultatem ad ſe ære alieno liberandas, aut levandas dedi; uno, quòd omnino nullus in imperio meo ſumptus factus eſt, (nullum cùm dico, non loquor ὑπερβολικῶς) nullus, inquam, ne teruntius quidem. hac autem re, incredibile eſt, quantum civitates emerſerint. 13 acceſſit altera. Mira erant in civitatibus ipſorum *furta* Græcorum, quæ magiſtratus ſui fecerant. quæſivi ipſe de iis, qui annis decem proximis magiſtratum geſſerant. apertè fatebantur. itaque ſine ulla ignominia ſuis humeris pecunias populis retulerunt. populi autem, nullo gemitu, Publicanis, quibus hoc ipſo luſtro nihil ſolverant, etiam ſuperioris luſtri reddiderunt. itaque Publicanis in oculis ſumus. gratis, inquis, viris, ſenſibus. Jam cetera juriſdictio 14 nec imperita, & clemens cum admirabili facilitate. aditus autem ad me minimè provinciales. nihil *per cubicularium*. ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus. grata hæc, & magna, mihiq; nondum laborioſa ex illa vetere militia. Nonis Maj. in Ciliciam cogitabam: ibi cùm Junium menſem conſumſiſſem, atque utinam in pace, (magnum enim bellum impendet à Parthis) Quintilem in reditu ponere. annuæ enim mihi operæ A. D. III. Kalend. Sext. emerentur. magna autem in ſpe ſum, mihi nihil temporis prorogatum iri. habebam acta urbana uſque ad Nonas Martias; è quibus intelligebam, Curionis noſtri conſtantia omnia potius actum iri, quàm de provinciis. ergo, ut ſpero, propediem te videbo. Venio ad Brutum tuum, immo noſtrum; ſic enim mavis. Equidem omnia feci, quæ potui aut in mea provincia perficere, aut in regno experiri. omni igitur modo egi cum rege, & ago quotidie, per litteras ſcilicet. ipſum enim triduum, quatriduumve mecum habui turbulentis in rebus, quibus eum liberavi. ſed & tum præſens, & poſtea 15 creberrimis non deſtiti rogare & petere, mea cauſa; ſuadere, & hortari ſua. multum profeci; ſed quantum, non planè, quia longe abſum, ſcio. Salaminios autem (hos enim poteram coërcere) adduxi, ut totum nomen Scaptio vellent ſolvere; ſed centeſimis ductis à proxima quidem ſyngrapha, nec perpetuis, ſed renovatis quotannis. numerabantur nummi; noluit Scaptius. 16 tu enim qui ais Brutum cupere aliquid perdere? quaternas habebat in ſyngrapha. fieri non poterat: nec ſi poſſet, ego *pati* poſſem. audio omnino Scaptium pœnitere: nam quod S. C. eſſe dicebat, ut jus ex ſyngrapha diceretur; eo conſilio factum eſt, quòd pecuniam Salaminii contra legem Gabiniam ſumpſerant. vetabat autem Auli lex, jus dici de ita ſumpta pecunia. decrevit



1. *In quibus una ſororis amici tui, hominis Bruti, qui hoc utatur, & illius Lepidi.*) Boſius legit, *utatur*, non *utatur*, ut eſt in vulg. codd. Ceterum vetus Mureti liber, pro, *amici tui*, habet *amici tuos*; *Bruti* autem & *Lepidi* nomina non habet. quare totum locum ita ipſe legit lib. xv. Var. cap. 8. *in quibus una ſororis amici tui, & hominis qui hoc utatur; & illius qui hæc tam negligenter ferat.*

2. Παρεσηκότι.) Obiter ſcire.

3. Προπύλαιον.) Veſtibulum.

4. *Et ſunt amoris.*) Vulg. *et ſi ſunt amoris.*

5. *Poſtremæ tuæ.*) Vulg. *tuæ poſtremæ.*

6. *Charonis.*) Anton. Auguſt. liber *Charontis*: vulg. *Charonis*.

7. *Et vix accredens.*) Reſtituit Boſius ex Cruſellino *accredens*. Lambinus ex vetere libro legit, *& vix ei credens*: vulg. *aggrediens*.

8. *De iſto Dicæarcho.*) Gloſſema; *Dicæarcho*, ſuſpicatur Manutius.

9. *M. Cluvio.*) Idem Manutius ex Cavalcantis & Beſſarionis mſſ. primus ſic correxit.

10. Νεόκτιστα.) Nuper condita.

11. Τῷ τῶν νεῶν.) Navium cathalogo.

12. *Phliaſios autem dici.*) *Autem* deeſt in vulg.

13. *Acceſſit altera.*) Malaſpina Victorianam editionem ſequutus probat, *alteram*, ſed Lambinus *altera* retinet. vulg. *alterum*.

14. *Nec imperita.*) Depravatè in omnibus vere codicibus ante Boſii editionem legebatur, *imperita*, pro, *imperitæ*, ut ex Cruſellino correxit Boſius, quod tamen rejicit Junius legitque ex duobus mſſ. Pal. *nec impedita nec demens*. Gulielmius maluiſſet, *nec impedita*.

15. *Creberrimis.*) Vulg. *creberrimè*.

16. *Tu enim qui ais.*) Sic ex fide Cruſellini legit Boſius. vulg. *tu qui ais.*

I. *Nonis*

crevit igitur Senatus, ut jus diceretur iſta ſyngrapha. nunc iſta habet juris idem, quod ceteræ, nihil præcipui. hæc, à me ordine facta, puto me Bruto probaturum; tibi neſcio; Catoni certè probabo. ſed jam ad te ipſum revertor. Ain' tandem Attice, laudator integritatis & elegantiæ noſtræ, „*auſus es hoc ex ore tuo*; inquit Ennius: ut equites Scaptio ad pecuniam cogendam darem, me rogare? an tu, ſi mecum eſſes, qui ſcribis morderi te interdum, quod non ſimul ſis, paterere me id facere, ſi vellem? non amplius, inquis, quinquaginta. Cum Spartaco minùs multi primò fuerunt. quid tandem iſti mali in tam *tenera* inſula non feciſſent? non feciſſent autem? immo quid ante adventum meum non fecerunt? incluſum in curia Senatum habuerunt Salaminium ita multos dies, ut interierint nonnulli fame. erat enim præfectus Appii Scaptius, & habebat turmas ab Appio. id me igitur tu, cujus mehercule os mihi *ante oculos* ſolet verſari, cùm de aliquo officio, ac laude cogito, tu me, inquam, rogas, præfectus ut Scaptius ſit? aliàs hoc ſtatueramus, ut negotiatorem neminem: idque Bruto probaveramus. habeat is turmas? cur potiùs, quàm cohortes? ſumptu jam nepos evadit Scaptius. volunt, inquis, principes. ſcio. nam ad me Epheſum uſque venerunt; flentesque equitum ſcelera, & miſerias ſuas detulerunt. itaque ſtatim dedi litteras, ut ex Cypro equites ante certam diem decederent: ob eamque cauſam, tum ob ceteras, Salaminii nos in cælum *decretis* ſuis ſuſtulerunt. ſed jam quid opus equitatu? ſolvunt enim Salaminii. niſi forte id volumus armis efficere, ut fœnus quaternis centeſimis ducant. & ego audebo legere umquam, aut attingere eos libros, quos tu dilaudas, ſi tale quid fecero? 1 nimis, nimis, inquam in iſto Brutum amaſti dulciſſime Attice: nos, vereor, ne parum atque hæc ſcripſi ego ad Brutum ſcripſiſſe, te ad me. cognoſce nunc cetera. Pro Appio nos hic omnia facimus; honeſtè tamen, ſed planè libenter: nec enim ipſum odimus: & Brutum amamus: & Pompejus mirificè à me contendit; quem mehercule plus pluſque in dies diligo. C. Cœlium Quæſtorem huc venire audiſti. neſciò, quid ſit: ſed Pammenia illa mihi non placent. Ego me ſpero Athenis fore menſe Septembri. tuorum itinerum tempora ſcire ſane velim. 2 εὐήθειαν Sempronii Rufi cognovi ex epiſtola 3 tua Corcyræa. quid quæris? invideo potentiæ Veſtorii. Cupiebam etiam nunc plura garrire: ſed lucet; urget turba; feſtinat Philogenes. valebis igitur, & valere Piliam, & Cæciliam noſtram jubebis litteris; ſalvebis à meo Cicerone.

CICERO ATTICO, S.

3 ETSI nil ſanè habebam novi, quod poſt accidiſſet, quàm dediſſem ad te Philogeni, liberto tuo, litteras: tamen cùm Philotimum Romam remitterem, ſcribendum aliqui ad te fuit. ac primùm illud, quod me maximè angebat, (non quo me aliquid juvare poſſes: 4 quippe res enim eſt in manibus: tu autem abes longè gentium:

5 Πολλὰ δ' ἐν μεσηγχύῳ

Νότος κυλίνδει κύματ' εὐρέης ἁλός)

obrepſit dies, ut vides, (mihi enim A. D. III. Kal. Sext. de provincia decedendū eſt) nec ſucceditur. quem relinquam, qui provinciæ præſit? ratio quidem, & opinio hominum poſtulat fratrem: primùm, quòd videtur eſſe honos. nemo igitur potior. deinde, quòd ſolum habeo Prætorium. Pomtinus enim 6 ex pacto & conventu (nam ea lege exierat) jam à me diſceſſerat. Quæſtorem nemo dignum putat, etenim eſt levis, libidinoſus, 7 tagax. De fratre autem primum illud eſt: perſuaderi ei non poſſe arbitror. odit enim provinciam. & hercule nihil odioſius, nihil moleſtius. deinde, ut mihi nolit negare; quidnam mei ſit officii? cùm bellum eſſe in Syria magnum putetur, id videatur in hanc provinciam erupturum; hìc præſidii nihil ſit; ſumptus annuus decretus ſit; videaturne aut pietatis eſſe meæ, 8 fratrem relinquere; aut diligentiæ, nugarum aliquid relinquere? magna igitur, ut vides, ſollicitudine afficior, magna inopia conſilii. quid quæris? toto negotio nobis opus non fuit. quanto tua provincia melior? decedes, cùm voles; niſi fortè jam deceſſiſti, quem videbitur, præficies Theſprotiæ, & Chaoniæ. nec dum tamen ego Quintum conveneram; ut jam, ſi id placeret, ſcirem, poſſetne ab eo impetrari: nec tamen 9 niſi poſſet, quid vellem, habebam. Hoc eſt igitur ejuſmodi. reliqua plena adhuc *& laudis & gratiæ*, digna iis libris, quos dilaudas. conſervatæ civitates, cumulatè Publicanis ſatisfactum: offenſus contumelia nemo; decreto juſto, & ſevero perpauci; nec tamen quiſquam, ut queri audeat. res geſtæ dignæ triumpho: de quo ipſo nihil cupidè agemus; ſine tuo quidem conſilio certè nihil. Clauſula eſt difficilis in tradenda provincia ſed hæc *Deus* aliquis gubernabit. De urbanis rebus ſcilicet plura ut ſcis; ſæpius, & certiora audis. equidem doleo, non me tuis litteris certiorem fieri. huc enim odioſa afferebantur de Curione, de Paullo: non quo ullum periculum videam ſtante Pompejo, vel etiam ſedente; valeat modò: ſed mehercule Curionis & Paulli, meorum familiarium, vicem doleo. formam igitur mihi totius Reip. ſi jam es Romæ, aut cùm eris, velim mittas; quæ mihi obviam veniat, ex qua me fingere poſſim, & præmeditari, quo animo accedam ad urbem. eſt enim quiddam, advenientem non eſſe *peregrinum* atque hoſpitem. Et, quod pæne præterii, Bruti tui cauſa, ut ſæpe ad te ſcripſi, feci omnia. Cyprii numerabant. ſed Scaptius centeſimis, renovato in ſingulos annos fœnore, contentus non fuit. Ariobarzanes non in Pompejum 10 prolixior per ipſum, quàm per me in Brutum: quem tamen ego præſtare non poteram. 11 erat enim rex pauper; aberamque ab eo ita longè, ut nihil poſſem, niſi litteris; quibus pugnare non deſtiti. ſumma hæc eſt. pro ratione pecuniæ 12 liberaliùs eſt Brutus tractatus; quàm Pompejus. Bruto curata hoc anno talenta circiter C. Pompejo in ſex menſibus promiſſa CC. jam in Appii negotio quantum tribuerim Bruto, dici vix poteſt. quid eſt igitur, quod laborem? Amicos habet meras nugas, 13 Matinium, Scaptium; qui, quia non habuit à me turmas equitum, quibus Cyprum *vexaret, ut ante me fecerat*, fortaſſe ſuccenſet; aut quia *præfectus non eſt*, quod ego nemini tribui *negotiatori*; non C. Vennonio, meo familiari; non tuo M. Lænio; & quod tibi Romæ oſtenderam me ſervaturum; in quo perſeveravi. ſed quid poterit queri is, qui auferre

1. *Nimis, nimis inquam.*) Iteravit vocem, *nimis* ex Tornæſiano & Cruſellino Boſius: alterum, *nimis* deeſt in vulgatis.

2. Εὐήθειαν.) Fatuam ſimplicitatem.

3. *Tua Corcyræa.*) Boſii omnes *tua Corcyræa*, ut edidit: & ita etiam fuiſſe in ſuis, refert Malaſpina; *tua* deeſt in vulg.

4. *Quippe res enim eſt in manibus.*) *Enim* non comparet in vulg.

5. Πολλὰ δ' ἐν.) Multos autem in intermedio Auſter volvit fluctus lati maris.

6. *Ex pacto & conventu.*) Prætulit Dauſquejus Lambini *convento*; etſi apud Plinium quid conventus ſit, non ignoret, legeritque apud Solinum, *conventum dentium*. heic enim cùm intelligatur res *pacta conventa*, ſic maluit, ut dixit. nam quid cuique loco appoſitius, pervidendum.

7. *Tagax.*) Malè legi, *ſagax*, ut eſt in vulgata editione, aut, *rapax*, jam pridem docuit nos Iacobus Cujacius.

8. *Fratrem relinquere; aut diligentiæ.*) Relinquere deeſt in vulg.

9. *Niſi poſſet.*) Vulg. *ſi poſſet.*

10. *Prolixior per ipſum.*) Vrſini Longolianus liber, *per ſe ipſum.*

11. *Erat enim rex pauper.*) Ienius ex optimo mſ. Palat. legit, *Erat enim rex, ſed pauper.*

12. *Liberaliùs.*) Sic conjiciunt Victorius, Manutius, Faernus, & alii; licet omnes mſſ. uno conſenſu habeant *liberiùs*.

13. *Matinium, Scaptium.*) Vulg. *M. Scaptium*: in Beſſarionis libro, *Manium Scaptium*. *Matinium* autem legendum Manutio non videtur.

1. *Gavius*

ferre pecuniam cùm poſſet, noluit? Scaptio, qui in Cappadocia fuit, puto eſſe ſatisfactum. is à me tribunatum cùm accepiſſet, quem ego ex Bruti litteris ei detuliſſem, poſtea ſcripſit ad me, ſe uti nolle eo tribunatu. 1 Gavius eſt quidam; cui cùm præfecturam detuliſſem Bruti rogatu, multa & dixit, & fecit cum quadam mea contumelia, 2 P. Clodii canis. is me nec proficiſcentem Apameam proſecutus eſt; nec, cùm poſtea in caſtra veniſſet, atque inde diſcederet, *numquid vellem*, rogavit; & fuit aperte mihi, neſcio quare, non amicus. hunc ego ſi in præfectis habuiſſem, quem tu me hominem putares, qui, ut ſcit potentiſſimum hominem contumaciam numquam tulerim, ferrem hujus adieciæ? etſi hoc plus, quàm ferre, tribuere etiam beneficii aliquid & honoris, is igitur Gavius, cùm Apameæ me nuper vidiſſet Romam proficiſcens, me ita appellavit: 3 (Culleolum vix auderem) *unde*, inquit, me jubes 4 petere cibaria præfecti? reſpondi lenius, quàm putabant oportuiſſe, qui aderant; *me non* inſtituiſſe iis dare cibaria, quorum opera non eſſem uſus. abiit iratus. hujus 5 nebulonis obiratione ſi Brutus moveri poteſt, licebit eum ſolus ames; me æmulum non habebis. ſed illum eum futurum eſſe puto, qui eſſe debet. tibi tamen cauſam notam eſſe volui: & ad ipſum hæc perſcripſi diligentiſſime. omnino (ſoli enim ſumus) nullas umquam ad me litteras miſit Brutus, ne proximè quidem de Appio, in quibus non ineſſet arrogans, 6 ἀκοινονόητον aliquid. tibi autem valde ſolet in ore eſſe,

*7 Granius autem*

*„Non contemnere ſe, & reges odiſſe ſuperbos:*

in quo tamen ille mihi riſum magis, quàm ſtomachum, movere ſolet: ſed plane parum cogitat, quid ſcribat, aut ad quem. Q. Cicero puer legit, ut opinor, & certè, epiſtolam inſcriptam patri ſuo. ſolet enim aperire, idque de meo conſilio; ſi quid forte ſit, quod opus ſit ſciri. in ea autem epiſtola erat illud idem de ſorore, quod ad me. mirificè „conturbatum vidi puerum. lacrimans mecum eſt queſtus. quid quæris? miram in eo pietatem ſuavitatem, humanitatemque perſpexi: quo majorem ſpem habeo, nihil fore aliter, ac deceat. id te igitur ſcire volui. Ne illud quidem prætermittam: Hortenſius filius fuit Laodiceæ 8 egladiatoribus, flagitioſè & turpiter. hunc ego patris cauſa vocavi ad cenam; quo die venit; & ejuſdem patris cauſa nihil amplius, is mihi dixit, ſe Athenis me exſpectaturum, ut mecum decederet. recte, inquam: quid enim dicerem? omnino puto nihil eſſe; quod dixit nolo quidem; ne offendam patrem, quem mehercule 9 multum diligo. ſin fuerit meus comes, moderabor ita, ne quid eum offendam, quem minimè volo. Hæc ſunt; etiam illud. Orationem Q. Celeris mihi velim mittas contra M. Servilium. litteras mitte quamprimum: 10 ſi nihil; nihil fieri, vel per tuum tabellarium. Piliæ & filiæ ſalutem. Cura, ut valeas.

## CICERO ATTICO, S.

TARSUM venimus Nonis Juniis. ibi me multa moverunt: magnum in Syria bellum; magna in Cilicia latrocinia; mihi difficilis ratio adminiſtrandi, quod paucos dies habebam reliquos annui muneris: illud autem difficillimum; relinquendus erat ex S. C. qui præeſſet. nihil minùs probari poterat, quam Quæſtor 11 Meſcinius. nam de Cœlio nihil audiebamus. rectiſſimum videbatur, fratrem cum imperio relinquere: in quo multa moleſta, diſceſſus noſter, belli periculum, militum *improbitas*, ſexcenta præterea. ô rem totam odioſam! ſed hæc fortuna viderit: quoniam *conſilio* non multum uti licet. Tu, quando Romam ſalvus, ut ſpero, veniſti, videbis, ut ſoles, omnia, quæ intelliges noſtra intereſſe, in primis de Tullia mea: cujus de conditione quid mihi placeret, ſcripſi ad Terentiam, cùm tu in Græcia eſſes: deinde de honore noſtro. quòd enim tu abfuiſti, vereor ut ſatis diligenter actum in Senatu ſit de litteris meis Illud præterea 12 *μυστικώτερον* ad te ſcribam; tu ſagaciùs: 13 *τῆ δάμαρτός μου ὁ ἐπελεύθερος (οἶσθα ὃν λέγω) ἔδοξέ μοι πρώην ἐξ ὧν ἀλογευόμενος παρεφθέγγετο, πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐκ τῆς ὠνῆς τῶν ὑπαρχόντων τοῦ Κροτωνιάτου τυραννοκτόνου. δέδοικα δὴ, 14 μήτι νοήσῃς 15 εἰς δῆπου τοῦτο δὴ προσκεψάμενος, τὰ λοιπὰ 16 ἐξασφάλισαι.* non queo tantum, quantum vereor, ſcribere. Tu autem fac, ut mihi tuæ litteræ volent obviæ. Hæc feſtinans ſcripſi in itinere atque agmine. Piliæ & puellæ Cæciliæ belliſſimæ ſalutem dices. 4

## CICERO ATTICO S.

NUNC quidem profecto Romæ es: quò te, ſi ita eſt, ſalvum veniſſe gaudeo: unde quidem quàm diu abfuiſti magis à me abeſſe videbare, quàm ſi domi eſſes. minùs enim mihi meæ notæ res erant minùs etiam publicæ quæ re velim. etſi, ut ſpero, te hæc legente aliquantum 18 tamen viæ proceſſero, tamen obvias mihi litteras quàm argutiſſimas de omnibus rebus crebrò mittas in primis de quo ſcripſi ad te antea: 19 *τῆς ξυνωρίδος* 20 *τῆς ἐμῆς ὁ ἐξελεύθερος, ἔδοξέ μοι θαμὰ βαττολογῶν, καὶ ἀλύων τοῖς ξυλλόγοις, καὶ ταῖς λέσχαις ὑπό τι πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς τοῦ Κροτωνιάτου.* hoc tu indaga 5

daga

1. *Gavius eſt quidam.*] Manutii ex Beſſarionis libro conjecturam confirmant Tornæſ. & Cruſellinus, in quibus plane exaratum erat, *Gavius*, vulgò *Cajus*.

2. *P. Clodii canis.*) Magis placet Vrſino, *cauſa*, quàm *canis*, ut in viri doctiſſimi libro emendatum ait.

3. *Culleolum vix auderem.*) Iunius, *Culleolam vix*.

4. *Petere cibaria præfecti? Reſpondi lenius.*) Sic legendum, ut è Tornæſiano emendavit Lambinus; quam lectionem præ ſe ferunt ceteri Boſiani: vulgò *petere cibaria? Præfecto reſpondi, &c.*

5. *Nebulonis obiratione.*) Boſius ex Decurtato repoſuit *obiratione*. Lambinus leg. *ex ratione* (quod Manutio tamen languidius videtur) & paulò poſt, *ſi Brutus permoveri*, pro ſimplice *moveri*. Iunius ex conjectura legit, *nebulonis ratione*. vulg. *operatione*.

6. Ἀκοινονόητον.) Alienum à familiari conſuetudine.

7. *Granius autem, &c.*] Manutius ita hunc locum reſtituit. Ceterùm libri alii, vulgati illi quoque habent, *Gravius*. Vrſinus ex doctiſſimi viri libro hanc profert correctionem: *Ennianum illud: gravitatem non contemnere, ſed reges odiſſe, &c.* ſcribit idem, *gnavius* pro *gravius* placuiſſe Faërno.

8. *Egladiatoribus.*] Fretus auctoritate Decurt. Boſius præpoſitionem, *è*, addidit, quæ magno ſententiæ incommodo deerat: Vulg. *cum gladiatoribus*. hanc autem præpoſitionem ab omnibus ſuis abeſſe teſtantur Malaſpina & Lambinus.

9. *Multum diligo.*] Vulg. *valde diligo*.

10. *Si nihil, nihil fieri.*] Hunc quoque locum repetita voce, *nihil*, ex eodem Decurtato correxit Boſius. Lambinus autem teſtatur Beſſarionis, Maffei, Ferri, & Memm. mſſ. legere, *fieri*, quod retinet: vulg. *ſi nihil ferrir*.

11. *Meſcinius.*] Ita legendum Vrſinus, non *Meſſinius*.

12. Μυστικώτερον, Secretius.

13. Τῆς δάμαρτός μου) Vxoris meæ libertus (noſti quem dicam) viſus eſt mihi dudum è verbis, quæ inconſideratè effutiebat, turbaſſe calculos, ex coëmtione bonorum Crotoniatæ tyrannicidæ. timeo, ne id adhuc non intellexeris. Vnus nimirum ubi hoc conſideraveris, reliqua in tuto pone.

14. Μήτι νοήσῃς) Emendat Manut. *μή τι νοήσῃ*: vulg. *μή τι οὐ νοήσῃς*.

15. Εἰς δῆπου.) Manutio placeret *ἐν δήπου*, niſi mſſ. repugnarent.

16. Ἐξασφάλισαι.) Vulg. *ἐξ ἀσφαλείας*.

17. *Tamen viæ.*] Duo hæc vocabula expungenda auctore Iunio.

18. Τῆς ξυνωρίδος) Vxoris meæ libertus viſus eſt mihi ſæpe garriens, & hæſitans in conciliabulis & circulis quodammodo conturbaſſe rationes in bonis Crotoniatæ.

19. Τῆς ἐμῆς ἐξελεύθερος.) Vulg. *τῆς ἐμῆς ὁ ἀπελεύθερος*.

1. Παρ

daga, ut ſoles; aſt hoc magis. 1 ἐξ ἄστεως ἑπταλόφου τειχῶν 2 παρέδωκεν μνῶν κ δ, μ η, ὀφειλημάτων Καμίλλῳ, ἑαυτόν τε ὀφείλοντα μνᾶς κ δ. ἐκ τῶν Κροτωνιατικῶν καὶ ἐκ τῶν 3 Χεῤῥονησιατικῶν μ η: καὶ μνᾶς κληρονομήσας χμ. χμ. τούτων δὲ μηδὲ ὀβολὸν διαλύσασθαι, πάντων ὀφειληθέντων τῆς δευτέρου μηνὸς τῇ νουμηνίᾳ. τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ, ὄντα ὁμώνυμον τῷ Κόνωνος πατρὶ, μηδὲν ὁλοσχερῶς πεφροντικέναι. ταῦτα οὖν, πρῶτον μὲν, ἵνα πάντα σώζηται: δεύτερον δὲ, ἵνα μηδὲ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς τῶν ἀπὸ τῆς προκειμένης ἡμέρας. ὅσας αὐτὸν ἠνέγκαμεν σφόδρα δέδοικα. καὶ γὰρ παρῆν πρὸς ἡμᾶς κατασκεψόμενος, καί τι σχεδὸν ἐλπίσας. ἀπογνοὺς δὲ, ἀλόγως ἀπέστη, ἐπειπὼν, εἴκω. 4 αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν: meque objurgavit vetere proverbio, τὰ μὲν διδόμενα. 5 reliqua videt, &, quantum fieri poteſt, perſpicit animus. etſi annuum tempus prope jam emeritum habebamus: dies enim XXXIII erant reliqui: ſollicitudine provinciæ tamen vel maximè urgebamur. cùm enim arderet Syria bello; & Bibulus, in tanto mœrore ſuo, maximam curam belli ſuſtineret; ad meque legati ejus, 6 & Quæſtor, & amici litteras mitterent, ut ſubſidio venirem: etſi exercitum infirmum habebam; auxilia ſanè bona, ſed ea Galatarum, Piſidarum, Lyciorum; (hæc enim ſunt noſtra *robora*) tamen eſſe officium meum putavi, exercitum habere quàm proximè hoſtem, quoad mihi præeſſe provinciæ per s. c. liceret. ſed, quò ego maximè delectabar, Bibulus moleſtus mihi non erat; de omnibus rebus ſcribebat ad me potiùs: & mihi deceſſionis dies λεληθότως obreptat: qui cùm advenerit, 7 ἄλλο πρόβλημα, quem præficiam; niſi 8 Caldus Quæſtor venerit; de quo adhuc nihil certi habebamus. Cupiebam mehercule longiorem epiſtolam facere: ſed nec erat res, de qua ſcriberem; nec jocari præ *cura* poteram. valebis igitur, & puellæ ſalutem 9 Atticulæ dices, noſtræque Piliæ.

CICERO ATTICO, S.

6 EGo, dum in provincia omnibus rebus Appium orno, ſubitò ſum factus accuſatoris ejus ſocer. id quidem, inquis, dii approbent ita velim; teque ita cupere certò ſcio. ſed crede mihi, nihil minùs putaram ego, qui de Tib. Nerone, qui mecum egerat, certos homines ad mulieres miſeram; qui Romam venerunt, factis ſponſalibus. ſed hoc ſpero melius. mulieres quidem valde intelligo delectari obſequio & comitate adoleſcentis. cetera noli 10 ἐξακανθίζειν. Sed heus tu, πυρούς εἰς δῆμον Athenis? placet hoc tibi? etſi non impediebant mei certe libri (non enim iſta *largitio* fuit in civeis, ſed in hoſpites liberalitas) me tamen de Academiæ προπύλῳ jubes cogitare, 11 cùm jam Appius de Eleuſine 12 non cogitet. De Hortenſio te certò ſcio dolere. equidem excrucior. decretam enim cum eo valde familiariter vivere. Nos provinciæ *præfecimus* Cœlium: puerum, inquies, & fortaſſe fatuum, & non gravem, & non continentem. aſſentior: fieri non potuit aliter. nam quas multo ante tuas acceperam litteras, in quibus ἐπέχειν te ſcripſeras, quid eſſet mihi faciendum 13 de relinquendo; eæ me pungebant. videbam enim, quæ tibi eſſent ἐποχῆς cauſæ, (& erant eædem mihi) 14 puero tradere me; fratri autem, illud non utile nobis. Nam præter fratrem nemo erat, quem ſine contumelia Quæſtori, nobili præſertim, anteferrem. tamen, dum impendere Parthi videbantur, ſtatueram fratrem relinquere, aut etiam Reip. cauſa contra s. c. ipſe remanere: qui poſtea quàm, incredibili felicitate, diſceſſerunt; ſublata dubitatio eſt. videbam *ſermones*: hui fratrem 15 reliquit? num eſt hoc non plus annum obtinere provinciam? quid, quòd Senatus eos voluit præeſſe provinciis, qui non præfuiſſent? at hic triennium. ergo hæc ad populum. quid, quæ tecum? numquam eſſem ſine cura, ſi quid iracundius, aut contumelioſius, aut negligentius; 16 quæ fert *vita hominum*. quid, ſi quid filius puer, & puer bene ſibi fidens? qui eſſe dolor? quem pater non dimittebat; teque id cenſere, moleſtè ferebat. at nunc Cœlius, 17 non dico equidem, quid egerit; ſed tamen multo minùs laboro. Adde illud, Pompejus, eo robore vir, iis radicibus, Q. Caſſium ſine ſorte delegit, Cæſar Antonium; ego *ſorte* datum offenderem? 18 ut etiam inquireret in eum, quem reliquiſſem? hoc melius: & hujus rei plura exempla: ſenectuti quidem noſtræ profectò aptius. at te apud eum, dii boni! quanta in gratia poſui? eique legi litteras non tuas, ſed librarii tui. Amicorum litteræ me ad triumphum vocant, rem à nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν noſtram, non negligendam. quare tu quoque, mi Attice, incipe 19 id cupere, quo nos minùs inepti videamur.

CICERO ATTICO, S.

QVINTVS filius, piè ſanè, me quidem certè multùm hortante, ſed currentem, animum patris ſui ſorori 7
tuæ reconciliavit. 20 eum valde etiam tuæ litteræ excitarunt.

---

1. Ἐξ ἄστεως.) Ex urbis ſepticollis mœnibus (libertus uxoris meæ) edidit Camillo rationes vicenarum quaternarum, & quadragenarum octonarum minarum æris alieni; ſeque debere vicenas & quaternas minas ex bonis Crotoniaticis, & quadragenas octonas ex iis, quæ ſunt in Cherſonneſo: & quamvis ex hereditatibus, quas adivit, redegerit minas ſexies centenas & quadragenas, & ſexies centenas, & quadragenas, ſe tamen æris illius alieni ne obolum quidem diſſolviſſe, cùm omnia hæc debeantur, jam inde à Kalendis ſecundi menſis: libertum autem ipſius, eum qui Cononis patri cognominis eſt, nihil planè curâſſe. Primum igitur hoc, omnia ut ſerventur, deinde, ut ne uſuras quidem negligas eas, quæ debentur ex die ſuprà appoſitâ. Per eos dies, quibus illum pertuli, valde magno in timore fui. Venerat enim ad nos exploraturus, & aliquid pæne ſperarat, ſed ſpe fruſtratus temerè receſſit, ſic fatus: Concedo; turpe quidem manere diu.

2. Παρέδωκεν μνῶν κ δ' μη ὀφειλημάτων Καμίλλῳ. ἑαυτόν τε ὀφείλοντα.) Boſius hunc locum ex Decurt. ſic caſtigavit. Lambinus autem ex optimo codice mſſ. aliter vult legi, παρέδωκεν ἡμῶν χαρακτῆρα μνᾶς ὀφείλημα τῷ Καμίλλῳ. vulgo, παρέδωκεν ἡμῶν γράμμα, ὀφειλήματα, ὁ Κάμιλλος αὐτόν τε ὀφείλοντα.

3. Χεῤῥονησιατικῶν.) Vulg. χεῤῥονησιτικῶν.

4. Αἰσχρόν τοι, δηρόν τε μένειν.) Parum hoc ad rem adnotavit Dauſquejus, niſi ex Homero ſupplementum *mittatur*: κενεόν τε νέεσθαι.

5. *Reliqua videt.*] Hunc locum fœdis maculis inquinatum ex priſco Decurtato purgavit Boſius.

6. *Et Quæſtor & amici.*] Poſterius, &, deeſt in vulg.

7. Ἄλλο πρόβλημα.) Alia quæſtio.

8. *Caldus quæſtor.*] Sic habent omnes Boſii ex mſſ. vulg. *Cœlius quæſtor.*

9. *Atticula dices.*] Acutiſſimè & Malaſp. conjecit Cic. ſcripſiſſe, *Atticula*, pro *articulatè*, ut vulgò referunt exemplaria; ejuſque conjecturam confirmat auctoritas Decurt. in quo diſertim exaratum eſt, *Atticula articulatè*, autem legendum cenſet Manut. ut etiam Lambin. qui tamen olim ediderat, *Atticula*, ex Malaſp. conjectura.

10. Ἐξακανθίζειν) Perſcrutari, ſubtiliter indagare.

11. *Cum jam Appius.*] Non dubium eſt quin legendum ſit, *cùm jam*, ut emendavit Malaſp. quod Boſio etiam probarunt Decurtatus & Cruſellinus: vulg. *quoniam.*

12. *Non cogitet.*] Fulvianus *nunc cogitet.*

13 *De relinquendo, ea me pungebant.*] In antiquo ſuo ſcriptum eſſe dicit Vrſinus, *de relinquendo fratre me, &c.*

14. *Puero tradere me.*) Boſius ex Decurtato ſic emendavit; vulg. *puero ne traderem.*

15. *Reliquit.*) Vulg. *relinquit.*

16. *Quæ fert vita hominum.*] Manutii hæc eſt emendatio: vulg *quæ fortuita hominum.*

17. *Non dico equidem quid egerit.*] Legit Muretus lib. xv. cap. 8. *non dico equidem quicquid egerit.* Vrſinus melius putat quod eſt in mſſ. *non dico equidem quod egerit, ſed tamen quod egerit, multo minus laboro.*

18. *Vt etiam inquireret in eum*) Malaſpinæ hanc ex antiquis libris reſtitutionem rectam & veram eſſe ſcripturam aſſerit Lambinus atque in hoc Memmianum Huraltinum & Tornæſ. codd. conſentire refert. Manutius, *aut etiam inquireret in eum?* cum interrogatione, quæ eſt vulgata lectio.

19. *Id cupere.*) Vulg. *hoc cupere.*

20. *Eum valde etiam.*) Vt in codd. Malaſp. ſic in Boſianis legebatur *etiam*, deeſt in vulg.

1. *Aliquid*

runt. quid quæris? confido rem, ut volumus, eſſe. Bis ad te antea ſcripſi de re mea familiari, ſi modò tibi redditæ litteræ ſunt, Græcè, ἐν αἰνιγμοῖς. ſcilicet nihil eſt movendum, ſed tamen, ἀφελῶς percunctando de nominibus Milonis, &, ut expediat, ut mihi recepit, hortando, 1 aliquid ita tu proficies. Ego Laodiceæ Quæſtorem Meſcinium 2 exſpectare juſſi, ut confectis *rationes* lege Julia apud duas civitates poſſim relinquere. Rhodum volo puerorum cauſa: inde quamprimum Athenas: etſi eteſiæ valde reſiſtant. 3 ſed planè volo his magiſtratibus, quorum voluntatem in ſupplicatione ſum expertus. Tu tamen mitte mihi, quæſo, obviam litteras: numquid putes reipub. nomine tardandum eſſe nobis. Tiro ad te dediſſet litteras, niſi eum graviter ægrum 4 Iſſi reliquiſſem. ſed nuntiant, melius eſſe, ego tamen angor. nihil enim illo adoleſcente caſtius, nihil diligentius.

## CICERO ATTICO, S.

CUM inſtituiſſem ad te ſcribere, calamumque ſumpſiſ-
8 ſem, 5 Battonius è navi rectà ad me venit domum Epheſi, & epiſtolam tuam reddidit 11 6 Kal. Octobres. Lætatus ſum felicitate navigationis tuæ, opportunitate Piliæ, etiam mehercule ſermone ejusdem de conjugio Tulliæ meæ. Battonius autem 7 miros terrores ad me attulit Cæſarianos: cùm Lepta etiam plura locutus eſt: ſpero, falſa, ſed certè *horribilia*: exercitum nullo modo dimiſſurum; cum illo Prætores deſignatos, Caſſium Tribunum pleb. Lentulum coſ. facere: Pompejo in animo eſſe urbem relinquere. Sed heus tu, numquid moleſtè fers de illo, qui ſe ſolet anteferre patruo ſororis tuæ filii? 8 at à quibus victus? ſed ad rem. Nos eteſiæ vehementiſſimè tardarunt. 9 detraxi xx. ipſos dies etiam aphractus Rhodiorum. Kal. Oct. Epheſo conſcendentes hanc epiſtolam dedimus. 10 L. Tarquitio, ſimul è portu egredienti, ſed expeditiùs naviganti. nos Rhodiorum aphractis, ceteriſque longis navibus tranquillitates aucupaturi eramus. ita tamen properabamus, ut non poſſet magis. De rauduſculo Puteolano, gratum. Nunc velim diſpicias res Romanas: videas quid nobis de triumpho cogitandum putes; ad quem amici me vocant. ego, niſi Bibulus, qui dum 11 unus hoſpes in Syria fuit, pedem porta non plus extulit, quàm domo ſua, adniteretur de triumpho, æquo animo eſſem. nunc verò αἰσχρὸν σιωπᾶν. ſed explora rem totam: ut, quo die congreſſi erimus, conſilium capere poſſimus. At multa; qui & properarem, & ei litteras darem, qui aut mecum, aut paullo ante venturus eſſet. Cicero tibi plurimam ſalutem dicit. tu dices utriuſque noſtrûm verbis & Piliæ tuæ, & filiæ.

## CICERO ATTICO, S.

IN Piræea cùm exiſſem prid. Idus Octob. 12 accepi ab A- 9
caſto, ſervo meo, ſtatim tuas litteras: quas quidem cum exſpectaſſem jam diu, admiratus ſum, ut vidi obſignatam epiſtolam, brevitatem ejus; ut aperui, rurſus σύγχυσιν litterarum, 13 quæ ſolent tuæ compoſitiſſimæ & clariſſimæ eſſe: ac, ne multa, cognovi ex eo, quòd ita ſcripſeras, te Romam veniſſe A. D. XII. Kalend. Octob. cum febri. percuſſus vehementer, nec magis, quàm debui, ſtatim quæro ex Acaſto. ille & tibi, & ſibi viſum, & ita ſe domi ex tuis audiſſe, ut nihil eſſet incommodè. id videbatur approbare, quod erat in extremo, febriculam tum te habentem ſcripſiſſe. 14 ſed amavi tamen; admiratusque ſum, quòd nihilominus ad me tua manu ſcripſiſſes. quare de hoc ſatis. ſpero enim, quæ tua prudentia & temperantia eſt, & hercule, ut me jubet Acaſtus, confido te jam, ut volumus, valere. A Turannio te accepiſſe meas litteras gaudeo. 15 παραφύλαξον, ſi me amas, τὴν τοῦ φυρατοῦ φιλοτιμίαν αὐτόπτης. hanc, quæ mehercule mihi magno dolori eſt, (dilexi enim hominem) procura, quantulacumque eſt, Præcianam hereditatem, 16 prorſus ille ne attingat. 17 dices, nummos mihi opus eſſe ad apparatum triumphi: in quo, ut præcipis, nec me κενὸν in expetendo cognoſces, nec 18 ἄτυφον in abjiciendo. Intellexi ex tuis litteris, te ex Turannio audiſſe, à me provinciam *fratri* traditam. adeon' ego non perſpexeram prudentiam litterarum tuarum? 19 ἐπέχειν te ſcribebas. quid erat dubitatione dignum? ſi eſſet quidquam; cur placeret fratrem, & talem fratrem, relinqui? 20 ἀθέτησις iſta mihi tua, non ἐποχή, videbatur. monebas de Q. Cicerone puero, ut eum quidem neutiquam relinquerem. 21 τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί. eadem omnia, quaſi collocuti eſſemus, vidimus. non fuit faciendum aliter, meque 22 ἐπιχρονία ἐποχὴ tua dubitatione liberavit. ſed puto te accepiſſe de hac re epiſtolam, ſcriptam accuratiùs. Ego tabellarios poſtero die ad vos eram miſſurus, quos puto ante

---

1. *Aliquid ita tu.*) Hoc ex ingenio, ſuſpicatur Manutius, nam Cavalcantii, Ferri, Beſſar. *aliquid aut*; probaret, *aliquantum*.

2. *Exſpectare juſſi.*) Sic legendum; nam quod Victorius ait ſe caſtigaſſe, *miſi*, auctore Lambino ferri non poteſt. Iunius ex duobus mſſ. Pal. *exſpectatum modo ipſe veneris*, pro *exſpectare juſſi*.

3. *Sed planè volo.*) Tò, *planè*, quod deerat in vulg. ex mſſ. ſuis reſtituit Boſius.

4. *Iſſi reliquiſſem.*) Decurtatus & Cruſellinus partim, *eſſe*, partim *Iſſe*, unde Boſio injecta ſuſpicio eſt Ciceronem ſcripſiſſe *Iſſi*, ut Manutius etiam legendum exiſtimat. Lambinus legit *Sidæ*, ex conjectura. Iunius verò neque *Iſſi*, neque *Sidæ*, neque Eſſæ, quæ eſt vulgata lectio probat, ſed *Niſæ* ſubſtituit. Cavalc. mſ. *Eſſæ*. Beſſar. *Eſſe*.

5. *Battonius.*) Hic & infra in vulgatis legitur *Baconius*.

6. *Kalend. Octobr.*) Hæc eſt ſcriptura Decurtati, Tornæſiani & Cruſellini: vulg. *pridie Kalend. Octob.* quod perinde eſt: Boſius veterem notam expreſſit.

7. *Miros terrores.*) *Meros* pro *miros* caſtigat Muretus d. cap. 8.

8. *At à quibus victus?*) *At à quibus evictus* legebat Pius.

9. *Detraxi xx. ipſos dies.*) In mſ. Vrſini eſt, *detraxere*.

10. *L. Tarquitio.*) Boſiani omnes *L. Tarquitio*, quomodo in ſuis fuiſſe addit Malaſpina, atque ita omnino legendum videtur Vrſino: vulg. *L. Tarquinio*.

11. *Unus hoſpes.*] Sic omnes habere mſſ. teſtatur Victorius. Lambinus autem codicem Tornæſianum, *hoſpis*, habere dicit, unde conjicit legendum *hoſtis*; quam conjecturam auctoritate mſſ. Palat. retinet Iunius, quomodo legendum diu eſt quod cenſuerat Lipſius libro 1. variar. lect. cap 15.

12. *Accepi ab Acaſto, ſervo meo.*] Emendabat Muretus d. cap. 8. *accepi ab Acaſto, ſtatim meo tuas litteras.*

13. *Quæ ſolent tuæ compoſitiſſimæ, & clariſſimæ eſſe.*] *Tuæ* deeſt in vulg. etiam in editione Iunii; qui pro *compoſitiſſimæ*, ex duobus mſſ. Palat. legit *copioſiſſimæ*. Gullelmius maluiſſet, *quod ſolent tuæ compoſ.*

14. *Sed amavi tamen.*] Vulg. *Sed clamavi tamen.*

15. Παραφύλαξον.) Obſerva conturbatoris philotimi actionem quàm maximè.

16. *Prorſus ille ne attingat.*] Et ſententia flagitat, ut legatur, *ille ne attingat*; & ita manifeſtiſsimè ſcriptum eſt in Scidis, ac etiam in Fulviano mſ.

17. *Dices, nummos mihi opus eſſe.*] Iunius ex duobus mſſ. Palat. legit *nummos mihi eſſe.*

18. Ἄτυφον.) Sine ambitione, ſine faſtu.

19. Ἐπέχειν *te ſcribebas.*) Victorius caſtigaverat ex antiquo ſuo ἐπέχειν *te ſcribebas*: antea legebatur ἔπειθεν *ut ſcribebas*: Viri doctiſsimi hanc emendationem refert Vrſinus; ἐπέχειν *interſcripſerat.*

20. Ἀθέτησις) Improbatio.

21. Τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί.) Supple: λέγεις: Eſtque proverbium: Meum ſomnium mihi narras. Antiquioris ſui auxilio hunc locum reſtituit Victorius: antea legebatur τοῦτο μόνον ἐρῶντί μοι: vulg. τὸ μὲν ὄναρ ἐρῶν ἐμοί.

22. Ἐπιχρονία) Diuturna dubitatio.

ante venturos, quam noſtrum Sauſejum. ſed eum ſine meis litteris ad te venire, vix rectum erat. tu mihi, ut polliceris, de Tulliola mea, id eſt de Dolabella, perſcribas; de Rep. quàm prævideo in ſummis periculis; de Cenſoribus, maximeque de ſignis, tabulis quid fiat? referaturne. Idibus Octob. has dedi litteras: quo die, ut ſcribis, Cæſar Placentiam legiones quatuor. quæſo, quid nobis futurum eſt? 1 In arce Athenis ſtatio mea nunc placet.

1. *In arce Athenis ſtatio mea nunc placet.*) Et hunc quoque locum depravatum meliorum ope codicum, reſtituit Victorius; cùm prius legeretur, *Malte. ſcribas Athenis.* Beſſarionis liber Manutio referente, *Marce Athenis:* Cavalcantis; *In arce Athenis.* verbum quidem *ſcribas*, in neutro reperitur, ne in duobus quidem, quos habet ipſius amiciſſimus, unde legendum conjicit, ut Victorius, ejusque emendationem ſibi vindicat: ſic etiam planè ſcriptum in ſuis mſſ. aſſerit Lambinus. ſed Iunius contrà; uno conſenſu omnes mſſ. Palat. habere ait, *Malle ſcribas, Athenis ſtatio nunc placet:* quod & ipſi probatur. Achilles Statius conjicit, *in actis* ſed non ſatisfacit Gulielmio, qui ἀκρόπολιν intelligi annotat, cujus & mentio apud Platonem libro 1. de Legibus.

# M. TVLLII CICERONIS
# EPISTOLARUM
## LIBER SEPTIMVS,
## AD
# ATTICUM.

### CICERO ATTICO, S.

1 DEDERAM equidem L. Sauſejo litteras, & dederam ad te unum, quòd, cùm non eſſet temporis mihi ad ſcribendum ſatis, tamen hominem tibi tam familiarem ſine meis litteris, ad te venire nolebam. ſed, ut *philoſophi ambulant*, has tibi redditum iri putabam priùs. ſin jam illas accepiſti, ſcis me Athenas veniſſe prid. Idus Octobres; è navi egreſſum in Piræeum tuas ab Acaſto noſtro litteras accepiſſe; conturbatum, quòd cum febre Romam veniſſes; bono tamen animo eſſe cœpiſſe, quòd Acaſtus ea, quæ vellem, de allevato corpore tuo nuntiaret; 1 cohorruiſſe autem me, quòd tuæ litteræ de legionibus Cæſaris afferrent; & egiſſe tecum, ut videres, ne quid φιλοτιμίᾳ ejus, quem noſti, nobis noceret; de quo jam pridem ad te ſcripſeram. Turannius autem ſecus tibi Brundiſii dixerat; quod ex iis litteris cognovi, quas à Xenone, optimo viro accepi. Cur fratrem provinciæ non præfeciſſem, expoſui breviter. hæc ferè ſunt in illa epiſtola. Nunc audi reliqua; per fortunas, omnem tuum amorem, quo me es amplexus, omnemque tuam prudentiam, quam mehercule in omni genere judico ſingularem, 2 confer jam ad eam curam, ut de omni ſtatu meo cogites. videre enim mihi videor tantam dimicationem, niſi idem *Deus*, qui nos meliùs, quam optare auderemus, Parthico bello liberavit, reſpexerit Rempublicam; ſed, tantam, quanta numquam fuit. age, hoc malum mihi commune eſt cum omnibus. nihil tibi mando, ut de eo cogites. illud meum proprium πρόβλημα, quæſo, ſuſcipe. videsne, ut te auctore ſim utrumque complexus? ac vellem à principio te audiſſe amiciſſimè monentem.

> Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες
> 3 Πατρίδος.

ſed aliquando tamen perſuaſiſti, ut alterum complecterer, quia de me erat *optimè meritus*; alterum, quia *tantum valebat.* feci igitur, 4 itaque feci omni obſequio, ut neutri illorum quiſquam eſſet me carior. hæc enim cogitabamus; nec mihi, 5 conjuncto cum Pompejo, fore neceſſe peccare in Rep. aliquando; 6 nec, cum Cæſare ſentienti, pugnandum eſſe cum Pompejo: tanta erat illorum conjunctio. nunc impendet, ut & tu oſtendis, & ego video, ſumma inter eos contentio. me autem uterque numerat ſuum, niſi forte ſimulat alter. nam Pompejus non dubitat (verè enim judicat) ea, quæ de Repub. nunc ſentiat, mihi valde probari. utriusq; autem accepi ejusmodi litteras eodem tempore, quo tuas; ut neuter quemquam omnium pluris facere, quàm me, videretur. verùm quid agam? non quæro illa ultima. (ut enim caſtris res geretur, video cum altero *vinci* ſatiùs eſſe, quàm cum altero *vincere*) ſed illa, quæ tum agentur, cum venero; ne ratio abſentis habeatur, ut exercitum dimittat. DIC M. TVLLI. quid dicam? exſpecta, amabo te, dum Atticum conveniam. non eſt locus ad

1 tergi-

1. *Cohorruiſſe autem me.*) Particula hæc, *me*, abeſt à vulg.

2. *Confer jam.*) Sic emendavit Lambinus, approbante Boſio cujus omnes mſſ. habent, *conferam*. Iunius verò ex mſ. Pal. in quo eſt, *conferre*, repoſuit *conferte*, prioremque lectionem rejicit. Vox illa, *jam*, deeſt in vulg.

3. Πατρίδος.) Hæc eſt lectio Boſii, in cujus omnibus mſſ. poſt hunc verſum:

> Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες.

nullum aliud Græcum verbum ſubjicitur præter vocem πατρίδος. Victorius in poſtrema editione ſua ſupplevit ex Homero quæ deeſſe videbantur, ut etiam Lambinus. Integer verſus ſic habet: ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος, οὐδὲ τοκήων. h. e. ſed mihi nunquam perſuaſiſti, patriâ, quidquam illis ſuâ dulcius eſſe, &c.

4. *Itaque affeci.*) Vulg. *atque effeci.*

5. *Conjunctio.*) Vulg. *uncto.*

6. *Nec cum Cæſare.*) Ita Boſius, ex antiquiore ſuo; quod tamen ſic prius ex conjectura emendaverat Malaſp. aſſentiente Lambino.

1. *Tergi-*